

DE NOTIONE QUAE GRAECE DICITUR *HYBRIS* APUD QUOSDAM SCRIPTORES CHRISTIANOS PRIMIS SAECULIS

Amici carissimi et professores clarissimi, Aloisio Miraglia humanissime suadente, ego quoque vos alloquor tractaturus de gravi argumento his diebus explorato, videlicet de illa notione quae Graece dicitur *hybris*. Quod ut faciam, etiam cursim, referam aliquas sententias quas invenimus apud quosdam scriptores Christianos qui primis saeculis florere quique Graecum adhibuerunt sermonem. Inter quos in primis adnumerabo Origenem Alexandrinum, dein anonymum auctorem operis c.t. *Ad Diognetum*, denique Clementem Romanum.

I. Origenes Alexandrinus propter amplissimam cognitionem quam est amplexus, maximus est sane habendus inter doctores Christianos qui ante Synodum Nicaenam (325) vixerunt. Hanc ob rem quidam, nec sine causa, eum definierunt Platonem christianum quoniam illius summi philosophi Atheniensis principia metaphysica institutis accomodavit Christianis. Origenes igitur in opere quod *De principiis* inscribitur, cum indagavisset qua causa homines cuncti experirentur in semetipsis acrem pugnam inter bonum et malum, vitia et virtutes, asseverat fuisse condicionem initialem animarum rationalium quae, antequam corpora essent creata, existebant incorruptae et cuiusvis generis malo expertes pace fruebantur eaque stabili. At quadam funestissima causa constituerunt se digredi a Deo eiusque amicitia. Quapropter tepescentes et languidiores, de statu beatitudinis primitivae deiecerunt earumque vita, cum sensibilibus corporibus essent unitae, miserrima est facta intima dimicatio inter vim caelestem primaevam quae, quamvis debilior, numquam tamen omnino deficit, et pravas et malas adfectiones terrenas ex corporalibus

impetibus prorumpentes. Animae propterea, libero arbitrio usae, possunt quinimmo debent vindicare ingenuam dignitatem imaginemque divinam ex perversis concupiscentiis in libertatem et virtutem. Ad quod patrandum animae, Verbo Dei homine facto, facere non possunt quin hauriant auxilia divina ex divinis mysteriis.

Quid verum fuerit scelus originale quod animae commiserant non omnino perspicuum est legentibus Origenis opera. Nec tamen fefellerit quis cogitaret hoc facinus fuisse quandam arrogantiam insolentiamque propter quas animae, quamvis creatae essent perinde ac purissimi spiritus intelligentes ad bonum contendentes, maluerunt, amore erga Deum amoto, superbiae imperio subici necnon ad malum inclinare. Ideoque, post alteram corporum creationem, animarum officium est funditus evertere radices originalis iactantiae et, per varias virtutes comparandas, se omnibus vitiorum maculis ita purgare ut ex iniquo et miserrimo statu instaurent illam intellectus rationalis integritatem qua in principio ornabantur et, Dei benevolentia denuo accepta, tantum amore inflammentur. Aliis verbis, ut paucis perstringam, iuxta magistrum Alexandrinum oportet homines, usos sua libertate, totam per existentiam, magno studio eniti ut vivant secundum naturales rationis leges et suavia amoris praecepta.

II. Nunc procedamus, vobis consentientibus, ad aliud opus c.t. *Ad Diognetum*, exaratum, ut plures contendunt viri acuti iudicii, altera parte II saeculi p.Ch. n. in quo scriptor, cuius nomen sane ignoramus, Christianos defendit a criminibus quibus accusabantur neque autem praetermisit quin Christianorum cultum perbelle exponeret. Legimus vero in opusculo hanc sententiunculam: Christiani ὑβρίζονται, καὶ τιμῶσιν. Etiam si illi patiuntur vim ab aliis illatam, Christi tamen asseclae nequaquam vi se defendunt quippe qui aliam vivendi rationem aliis opponant iuxta quam contra nequam hominum *hybrin* oportet respondere tantummodo honestissimis moribus et virtutibus insignibus.

Hoc pacto Christiani imitantur vel Dei rationem operandi, ut in opusculo invenitur illud: ἀγαπήσας δὲ μιμητῆς ἔση αὐτοῦ τῆς χρηστότητος. καὶ μὴ θαυμάσης, εἰ δύναται μιμητῆς ἄνθρωπος γενέσθαι θεοῦ. δύναται θέλοντος αὐτοῦ. Si igitur extinguuntur delenturque contumacia, iactantia, contemptus atque isti animi malevoli sensus cedunt in modestiam, gratiam, amicitiam erga alios, hominibus licet extolli ad summam virtutem adeo ut, cum similes Deo facti sint, humana natura ipsa quodammodo mutetur in divinam.

Nec autem adhortatio, quam protulit scriptor operis c.t. *Ad Diognetum*, auditoribus videatur nimis difficilis vel etiam quoddam praeceptum nullo modo explicandum. Omnibus enim patet Christianorum instituta, cum tam gradatim quam potenter penetravissent in veterum cultum civilem, eum humaniorem fecisse. ἀγαπήσας δὲ μιμητῆς ἔση αὐτοῦ τῆς χρηστότητος. Quod dixit anonymus auctor est lex quidem sempiterna in animis inscribenda numquam violanda semper autem servanda: contra animi crudeles atrocitates, fructus acerbissimos quos gignit *hybris*, ἀγάπη, quod est mansueta dilectio et amor sincerus, est opponenda et praestanda pacem quaerentibus, virtutes comparantibus, sapientiam amplectentibus.

III. Antequam faciam finem dicendi, malim nonnulla addere de epistula quam I saec. iam exeunte dedit Christianis Corinthi habitantibus Clemens qui quartus est adnumeratus inter Romanos Antistites. Per quod scriptum ille Antistes, qui vir quidam doctissimus et rhetor peritissimus fuit, monuit ne quidam ministri munero suo fungentes, superbiae tumore elati, discordias perniciosissimas et odia intestina in Ecclesiam concitarent. Quod ut animo libenti acciperent, Clemens Romanus proposuit exempla in Sacris Scripturis narrata illius virtutis quam antiqui nec usu nec ratione cognitam habebant, humilitatem dico, quae, apud veteres, loci obscuritatem, rerum inopiam, turpem ignobilitatem significabat. Cum autem Dei Verbum caro factum esset et per horrendam ignominiam Crucis, supplicii taeterrimi, homines peccatores salvos fecisset, humilitas est virtus summa ducenda et plurimi habenda.

“Humiles itaque simus fratres – ait Clemens – deponentes omnem arrogantiam, et amentiam, et iras [...] Christus enim eorum est qui humiliter de se sentiunt. Sceptrum maiestatis Dei, Dominus noster Christus Iesus, non venit in iactantia arrogantiae neque superbiae, etiamsi potens sit, sed in humilitate”. Quo melius quid sit ipsa humilitas intellegatur, noster scriptor suadet ut Christi exemplum spectetur. Ex quo comperimus humilitatem esse virtutem qua homines mitiores et fortiores cedant iura honores gloriam ut, perturbationibus placatis, tranquillitas animi pariatur et, factionibus dissensionibusque extinctis, componatur pax eaque firma.

Cum vero Clemens aliique scriptores Christiani antiqui admonitiones in Scripturis praebitas traderent, hoc saepissime poscebant ab hominibus ne ante humilem Dei maiestatem se altiora quaerent et intenderent. Nisi enim se redderentur humaniores et mansueti, altera via qua beati evaderent minime posset reperiri.

Dixi

Tusculi, die III ante Id. Nov. a.D. MMXVIII